



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Actio II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

& Theodosium missa,) paulo post sanioris mentis effecti, a sceleratorum militia deficientes, ad catholicæ ecclesiæ castra se receperunt. Hæc ex actis Concilii Ephesini Baronius anno 431. numero septuagesimo primo, vsque ad 80.

ACTIO II.

Secunda actio Concilii orthodoxi decima Iulii inchoata est, in qua post duodecim dies habiti Conciliabuli, legati sedis apostolicæ eodem die, quo Ephesum appulerant, in Synodum introducti, obrulerunt literas Cælestini pontificis, ob dignitatem apostolicæ sedis Latine scribentis, Latine recitatas. Quas cum patres velut catholicas & orthodoxas prædicassent, & faustis acclamationibus accepissent, iisdem legatis acta Synodi, prout petierant, prælecta fuerunt, eo consilio, vt latam contra Nestorium sententiam suo suffragio etiam confirmarent. Ex actis Concilii Ephesini Baronius numero 80. & 81.

ACTIO III.

Legati sedis apostolicæ Nestorii condemnationem approbant.

Vndecima Iulii, tertia actione patribus Concilii conuenientibus, legati sedis apostolicæ in damnationem Nestorii suum calculum adiecere. Quorum primo loco Philippus presbyter post sententiam, de primatu sedis apostolicæ quædam prælocutus est, quæ sanctum Concilium approbavit. Post Philippum cardinalem presbyterum, proximiorum connexioni capiti ecclesiæ coniunctum, duo reliqui sententiam pronuntiarunt, & subscripserunt, quantumvis episcopali dignitate præeminerent. Quod hæc damnatio Nestorii non tantum per legatos Cælestini pontificis, verumetiam omnium occidentalium episcoporum vicem agentes, confirmata fuerit, duabus synodicis epistolis ad imperatorem Theodosium & clerum Constantinopolitanum, nulla rerum in Conciliabulo gestarum mentione facta, perscripserunt. Nestoriani interim vt eas, quas Cyrillus de damnato Nestorio in Ægyptum scripserat literas anteuertent, suis istuc transmisis, significarunt Cyrillum eodem anno in Nestorium commotum esse, quo Theophilus Chryostomum antehac infectatus fuit, & vt eum Ægyptiis odiosum redderent, addiderunt eundem sua meritissima culpa absque perendina dilatione excommunicatum esse. Quæ res piorum multorum animos exulceravit. Inter alios Isidorus Pelusiota, commentis hæreticorum fidem adhibens, per epistolam cum Cyrillo exposulauit; monens ne qui nepos esset Theophili, mores sæuitiamque eiusdem imiteretur. Victorem sanctissimum monachum per calumnias eo infamiæ adegerunt, vt mandato Concilii se per iuramentum ab obiectis hæreseos calumniis purgare debuerit. Ex Cyrillo & actis Concilii Ephes. Baron. anno 431. num. 82. vsque ad 87.

Nestorianorum in Cyrillum calumnia.

Isidorus Pelusiota cum Cyrillo exposulat.

ACTIO IV.

Quarta actione, post interuallum aliquot dierum decimasexta Iulii, in eandem Dei genitricis basilicam patres Concilii conueniunt, acturi de modo & ratione, qua iniuriam Cyrillo, Memnoni, aliisque orthodoxis episcopis a Conciliabulo Nestorianorum irroga-